

Q. 521, 16.

(X1903992)



Q. D. B. V.

De

FATIS
ERUDITORUM
IN AULA,

*Inclytæ Facultatis Philosophicæ
indultu,*

PRÆSIDE

M. CHRISTIANO WEISIO,

Cygeo,

differet

AUTHOR

Mauritius Damianus Mareschallus
de Biberstein.



d. 20. Mart. M. DC. XCV.

H. L. Q. C.



LIPSIÆ,

Literis GOEZIANIS.

63



INSTITUTION
M. CHRISTIANO WEISIO

PRÆSIDENTE
M. CHRISTIANO WEISIO


MAURITIO CAROLINO
DE BIBLIOTHECA

MDCCCXCV

M. L. G.

LIBRIS

FRANCOFURTI





2. D. B. V.

PROOEMIUM.



Vi statum & conditionem Aulae accuratiori secum
lustrat & expendit animo, non eam certe expres-
sam ubique observabit ideam, quam DEUS expri-
mi ibidem voluit. Cum enim duo maxime in au-
la contemplanda veniant: alterum, quod sensus
plerorumque fugit, cura scilicet & administratio
rerum divinitus commissa; alterum, quod in sensus eorum incur-
rit, species nempe voluptatum externa, gratum illud onerum diffi-
cillimorum involucrum; tum posterius recte simul in causa esse di-
xeris, cur tantus in quibusdam aulis à virtutibus compareat seces-
sus. Ea namque aliquorum mens est, ut summum in deliciis &
voluptatibus bonum repositum esse credant; hinc omni labore,
studio & conatu ansam eos querere videas, qua explere impii ani-
mi desideria queant. Ubi igitur opportunam magis occasionem
nullibi ac quidem in aula sibi datam cernunt, variis machinatio-
nibus, simulationibus & dissimulationibus Principum occupare cor-
da, & suorum vitiorum veneno aulam corrumpere laborant.
Quicquid tamen vitiosorum sit moliminiis, servat tamen sibi Deus
justas Principum Aulicorumque reliquias, imo divina pronæa &
in medio malorum vigilat, vigilat inquam, & bona pariter atque
mala agentes observat, observat inquam, & per mirandas saepe
catastrophas justissima Domini judicia cuilibet declarat. Eadem
igitur providi Numinis cura impulsit & nos, eruditorum in aulis. Fa-
ta jam expendemus quodammodo; hac quidem methodo, ut facta
in duo capita divisione, primum eorum Fata eruditorum spectet
paulo generalius, alterum vero Fata ipsorum aulis in causis & ex-
emplis consideret. Tu vero, supreme Parens, nostris queso clemen-
ter annue cœptis.

CAPUT I.

De Eruditorum Fatis.

§. I.

FATA
spectari pos-
sunt
(1.)
in Thesi.



Uli igitur de fato eruditorum prius agere in no-
strum animum induximus, non qualibet in amplitudine
Fata, sed ad res hominum restricta sub incudem revoca-
re tenemur. Ea tamen alio modo concipiet, qui The-
seos, alio, qui Antitheseos, rursus denique alio, qui Hy-
potheseos nostræ rationem habebit. Ita namque *Fati*
nomine Christianam Philosophiam professis nihil venit aliud, quam
*provida Divini Numinis cura, qua rebus ita prospicit humanis, ut ap-
tissime disponat easdem, itidemque certa quadam necessitate fluere ju-
beat.* Cum enim Regis instar DEUS ipse sedeat in solio, non pote-
rit, quin accuratissimo *παρασφλας* oculo lustret omnia, omniaque
pronæ Divinæ sceptro gubernet. At Rex bifariam regno suo pro-
videt, nutu scilicet vel *absoluto*, quo quicquid vult, decernit, sancit,
efficit, cui resistere nefas; vel *hypothetico*, quo subditis quoque suam
agendi, negotiandi, omittendi libertatem largitur; nec aliter summi
Regis fatum se habere constat. Etenim Deus ita fati sui cursum non-
nunquam moderatur, ut ab omni hominis nixu atque motu sese sol-
vat & absolvat penitus; Hinc ea etiam, quæ illimitato hoc consilio
decreverat, immobili quadam necessitate eventui respondere debent,
nullo videlicet modo medioque retardanda. Adhæc & hypotheti-
cum DEI agnoscere fatum necesse habemus, quod harmonica ordinis
Divini catena nixum, liberos hominum motus ita secum concurrere
facit, ut causa causæ innexa, effectu effectui juncto, suavi omnes of-
culo se se invicem excipiant. Et huc tendit accurata ea observatio,
quando magni quidam nominis Theologus (1.) fatum istud dulci tri-
um puellarum choreæ in choro se se invicem osculantium compara-
vit, quarum prima dicatur *Pronæa*, altera *Bule*, tertia *Exusia Thelematis*,
his enim illum providentiæ Divinæ ludum credit absolvi.

(1.) Dannh. Theol. Consc. Tom. post. p. 189. confer. Hodosoph. Phænom. 3-
p. 320. & Christeida p. 4. ubi hanc de Fato materiam solidè excussit.

§. II.

(2.)
In Antithesi.

Prolatis hisce hætenus in Thesi, *Stoicorum*, tum & *Epicureo-
rum* sententiam cernimus oppositam, utramque ex puræ veritatis
igno-

ignorantia prognatam. Qui enim à Stoa salutabantur Philosophi, non nisi Fato absoluto addicti immutabilem profitebantur & indissolubilem necessitatis catenam, ex perpetuo causarum naturalium nexu & serie dependentem. Hinc clarus ille Stoæ veteris Princeps Seneca: (2.) *Fatum, ait, est necessitas omnium rerum actionumq; , quam nulla vis rumpit. Nam & Fata jus suum peragunt, nec ulla commoventur prece, non misericordia flectuntur, non gratia, servant cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt. Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens præcipitat: Sic ordinem rerum fati aeterni series rotat, cujus hæc prima lex est, stare decreto.* Præsupponunt igitur Stoici Deum tanta vi operantem in humanis, ut excussa libertate hominum inevitabili necessitate eos agere jubeat, aut ad actionem quasi compellat, rapiat, cogat, nec ullo aliter modo agere sinat. Quin & eò dementiæ abiisse quosdam sectæ hujus asseclas videmus, ut (prout est apud Philostratum) eum etiam, quem Fata fabrum elegerint lignarium, vel amputatis manibus, fabrum tamen evasurum crediderint. Et quod mireris: Deum ipsum fato reddere obnoxium, & carcere Parcarum claudere haud erubuerunt. Ita enim Seneca: (3.) *Eadem necessitas, ait, & Deos alligat. Ille ipse omnium conditor ac Rector, scripsit quidem Fata, sed sequitur, semper paret, semel jus sit.* Alius vero à Stoicis, non melioris tamen, farinae sunt Epicurei, qui casum crepantes & fortunam, motum sine causa ponunt, suis omnia cursibus relinquunt, absolvunt ab omni Dipteræ inspectione Deum, nec nisi forte ac temere humana negotia volvi agique credunt (4.)

(2.) Sen. lib. 2. quæst. nat. quæst. 5. (3.) idem lib. de provid. c. 5. conf. Gellius noct. Attic. l. 6. c. 2. (4.) Vide passim scriptores defato, ut Julium Sirenium, qui libros 9. de Fato Venetiis Anno 1563. in fol. prodire fecit. Hugo Grotius, qui Philosophorum de Fato sententias collegit, & peculiari libello edidit. Confer. & Germanicum meletema Dan. VVülfferi de Fato, necnon Bartholomæi Franci Dissert. de eodem. Jamblichum nonnulli etiam de Fato scripsisse putarunt, quos errasse tamen dicit Thomas Gale Anglus, in notis ad Jamblichum de mysteriis p. 309.

§. III.

At nos veritatis memores ubique, in alia fere omnia abire decet. At hic (3.) hy- Propius enim ad præfixam nobis metam deducti, nec in Stoicorum, pothesis atten- nec Epicureorum militabimus castris; quin sano mentis oculo lustratur, ditur,

quæ

turi fatum, prosperos pariter atque adversos rerum humanarum spectabimus successus, cum ab homine, tum simul à Deo, interdum & unice ab hoc profectos. Verbo ut rem exprimam: *quicquid fortune alias aut infortunii vocibus exprimitur, id nobis fati nomine hic venit.* Sic enim rimari, sed & mirari supremi Induperatoris Regimen vel sana suadet ratio, ut in intellecta hæctenus de DEO nostro provido sententia firmiores posthac radices agamus; quæ vero Numinis via hæctenus obscura mansit, nostro animo impostertum reddatur clarior.

§. IV.

Fata ad eruditos restringit,

Sed vereor, ne limites fati hæctenus positi in nimiam forte amplitudinem adhuc excurrant; qua re motus cedere abhinc innumera ferme plebejorum fata jubeo, iis unice nostræ indagini relictis, quæ pretiosus Eruditorum cœtus conspicienda præbet. Palmam enim jure ac merito cæteris præripiunt, qui sedula artium, scientiarumque cultura supra plebis conditionem assurgunt, & perruptis tenebrarum claustris eruditorum luci sese exponunt. A quibus tamen fortè non immerito *Calvisium Sabinum* abesse debere dicas, (5) qui cum fluxæ adeo esset memoriæ, ut nomen ipsi jam Ulyssis, jam Achillis, jam Priami excideret, tum vero magna pecuniæ summa servos coëmisse, eorumque alteri Homerum, alteri Hesiodum &c. manu volutare nocturna diurna que præcepisse dicitur. Hos igitur servos ad pedes habebat subinde, & quos quilibet ex authore suo versus referret, exposcebat. In eam enim stolidus hic opinionem iverat, ut se scire putaret, quod quisquam domi suæ servus haberet cognitum; dignus profecto, qui risu exciperetur à beato orbis quondam literarii fulcro Morhofio. (6) Neque enim eos eruditorum societati inferendos credimus, qui aliorum alis freti, per ora Virorum volitare laborant; proprius hic nixus, labor & industria requiritur propria, si nomina quisque sua Orbi Erudito consecrare studeat. Caveat tamen & hic Lector, ne postrema isthæc verba *αυτοδιδάκτοις* tantummodo reddat propria. Fulgent quidem in illustri Doctorum cœlo non contemnendæ lucis sidera, qui non viva Præceptorum voce ducti, sed velis acti propriis, ad intima doctrinæ penetralia pervenerunt; (7) Quod iis autem solis eruditionis gloria competat, vix sine summa summorum virorum injuria quispiam dicere præsumet. Sed nec hæc nostra de viris doctis mens est,

quasi

quasi libris scribendis operam omnes impendere debuerint. Ecquis enim nescit, multos delituisse, quin & hodie adhuc delitescere viros, eruditione quidem ex confessione omnium, scriptorum vero monumentis nullibi claros? Sicuti contra ea non desunt, qui conscribillantium gangræna laborantes cruda sæpe studia in forum protrudunt. Ut adeo nobis eruditorum fata consideraturis perinde futurum sit: sive ad doctrinam suam pervenerint docti, præceptorum vias secuti, aut suo solum ducti studio; sive libros, monumenta scilicet eruditi nominis posuerint, aut certis rationibus inducti, ab eadem opera destiterint; sive ad Ecclesiasticum, sive Politicum, sive Medicum, aut etiam Philosophicum ordinem referendi fuerint, dummodo fuerint eruditi, eorum enim spectabimus fata.

(5) Test. Sen. ep. 27. (6) Polyhist. l. I. c. 3. p. 22. (7) Gratulabatur sibi Augustinum Italia, sicut Anglia Robertsonem, cujus tanta fuit industria, ut absque ullo vivo Præceptore Hebræam & Arumæam linguam sese addidicisse profiteretur in Parænesi ad linguæ sanctæ studia vid. Act. Erud. anno 87. p. 310. Confer & Alberti Lainerii Vertoni Satyras personarum, ubi eruditos *αυτοδιδάκτες* plures adduci testantur vicissim Act. Erudit. Lipsiensium anno 90. p. 204. Josephum Justum Scaligerum *αυτοδιδάκτοις* etiam accenset Baudius in oratione funeri ipsius habita p. 625. edit. Lugdun.

§. V.

Verumenimvero neque hisce terminis memet includi patior. Qui enim omnia eruditorum fata exacte conscribere velit, ei nec vasta Volumina explendi deerit materia; imo vel ea libris conficiendis sufficere posse putarem, quæ studiorum tantummodo respectum involvunt. Siquidem amplissimus hic se aperiret dicendi campus de tardis studiorum initiis, (8) de præcocibus in iisdem progressibus, (9) & quamplurimis aliis, sed à nostro jam jam scopo prorsus alienis. Propius tamen ad eum accedere videntur fata, quæ clamat *usus studiorum publicus*, cum alibi, tum vel maxime in Aula sese exerens & Academia. Nec est, ut omnes Academiae angulos quis percurrat prolixius, ea enim satis curiosi respondebunt desiderio, quæ vel solus auditorum respectus suggeret. Ecquid enim hic acerbiores Doctorum conditionem redolet, quam quæ frequentius in scholis ipsorum solitudo comparet? Aldus Manutius, publicam docendi provinciam in Romano Gymnasio nactus, tanto exponebatur contemptui, ut qua hora discipulorum

indeque felicit,

quæ

se exerunt
circa
studiorum
usum,

lorum

non quidem

Academicum,

sed

Aulicum
per
officia, eorum-
que

lorum multitudinē eloquentiæ præcepta tradenda erant, à corona de-
relictus, ante Scholæ ostium, cum uno vel altero deambulare necesse
habuerit. (10) Longe felicior hac in parte Italiciæ Sectæ Author ex-
titit *Pythagoras*, qui apud Crotoniatis docens, pauciores sexcentis au-
ditores nunquam vidisse dicitur. Non multi tamen hi sunt, si confe-
rantur ad quater mille studiosos, qui *Johannis Corrasii* jus profitentis
Tolosæ vocem exceperunt. Neque hac felicitatis parte inferior Cor-
rasio fuit *Hieronymus Buccaferrus*, per duos enim & quadraginta an-
nos, quibus jus civile docuit Bononiæ, tanti ad eum concursus fiebant,
ut non modo locus in subselliis maturè occuparetur, verum etiam
schola atque adeo ambulacrum scholæ adjunctum auditorum fre-
quentia compleretur. (11) Tantum quoque applausum *Johannes*
Maldonatus olim tulisse fertur, ut subsellia certatim implerent audito-
res duas & tres horas ante, quam ingrederetur ille auditorium. In
aperto sæpe atque viis publicis docere coactus est ob auditorum copi-
am, quam nullæ amplius exedræ capiebant. Et Erfurthi mille quin-
gentis auditoribus *Eobanum Hessum* poetas exposuisse perhibent.
Quanta tamen factorum benignitas his ex multitudine auditorum na-
ta, tantam aliis Dignitas acroatarum dedit usurpandam. *Berneggero* hac
uti licuit fortuna, qui Celsissimum & tum ad omnes fastigii sui laudes
efflorescentem Principem, Sylvium Nimrodum Würtembergicum au-
ditorem habuit in Tacito.

(8) Exemplo esse poterit *Guilielmus Barclajus*, qui annos triginta natus, ani-
mum ad Jurisprudentiam demum adjecit, felici tamen adeo successu,
ut brevi tempore & jus civile docere alios, & Regi Scotiæ Jacobo à
consiliis esse potuerit. Erythræus Pin. 3. p. 74. 75. (9) de *Boxhornio*
notum est, quod decimo nono ætatis anno haud dum finito, ad publi-
cam in Leidenfi Academia Professionem fuerit admotus. Plures re-
censet Spiz. Felice lit. p. 1024. quo etiam Andreas Cantor decem an-
norum puer relatus fuit à Mayfarto in *der Erinnerung von denen Ev-
angelischen Hohen-Schulen in Teutschland* / c. 1. p. 40. (10) Ery-
thr. Pin. I. p. 285. (11) idem Pin. I. p. 263. (12) vid. Böcl. orat. fu-
nebri in obitum Berneggeri dicta.

§. VI.

Sed adhuc aurem nobis vellicat Aula, fata ostendere parata, quæ
in suo conspectu Eruditi experti fuerint. Missis itaque ambagibus
nutum monentis sequamur, penitius consideraturi *fata, quæ*
divina

divina in aulis pronæa per officiorum collationem, ut & collatorum successus reddiderit conspicua. Id igitur ut eo felicius expedire queamus: potiores primo eorundem causas, dein paucula exhibebimus exempla. Sit ergo

CAP. II.

De Fatis Eruditorum in Aula.

SECTIO I.

De eorundem causis.

§. I.

Commisimus igitur pelago ratem, pandimus vela, remisque impulsis tendimus ad metam, sed in medio constituti cursu, tantum non penitus gradum sistere jubemur. Quas enim jam expendere causas in promissis dedimus, eas tot tantisque difficultatibus videmus involutas, ut quo se vertat indagator pene nesciat. Neque enim accuratius singulorum evolvere animos nostræ potestatis est, nec omnes omnium factorum circumstantiæ sunt in aprico positæ; ut adeo multarum causarum ignorantiam profiteri necesse habeamus. At enimvero quamvis sigillatim has & non alias hujus vel illius fati extitisse causas nobis affirmare vix liceat; licebit tamen *communes rationum aperuisse fontes*, è quibus hæc eruditorum fata emanasse colligas. Ne verò instar erronum vago discurramus conceptu, ad *tres classes* promissas ante causas revocabimus: in *prima* quidem contemplaturi, quas sibi Divinæ, in *altera*, quas Eruditorum, in *tertia*, quas Aliorum partes sibi vendicent.

CAUSÆ

aliæ sunt

§. II.

Et DEUS quidem tantum abest, ut secludi ex hac causarum serie possit, ut potius utramque ipsum paginam facere rectissime asserueris. Nam (13.)

̄. Ex parte
DEI

Si vitam spectes hominum, si denique mores,

Artem, vim, fraudem, cuncta putes agere.

Si propius spectes, fortuna est arbitra rerum,

Nescis, quam dicas, & tamen esse vides.

At penitus si introspicias, atque ultima primis

Connectas, tantum est Rector in orbe Deus.

B

Is enim

Is enim in supremo omnium solio constitutus, sceptrum tenet plus quam Regia, ut & lucidos in sceptro oculos, quibus indagare singula novit felicissime. Τετραχηλισμένα πάντα in Divini hujus Numinis conspectu apparent; solus is nutu sapientissimo Fata disponit, & brachio potentiae executioni tradit, quae in suam prius animum induxerat. Duplicem vero vultum Rex iste caelestis praese fert potissimum: alterum, quo pios, alterum, quo impios Eruditorum respicit; duplicem, inquam, ergo! diversum: Blandum videlicet & benignum, quo illos, sed & gravem & acerbum, quo hos intueri assolet. Cum enim probi infucatoque pectore praediti heliotropii naturam induant, eo quidem obedientia sua migrare parati, quod divina praecpta jubebant; tum non poterit, quin suavissimus gratiae divinae radius stringat eos, qui sincere adeo mandata Domini explere satagunt. Indoles enim eorum fuci omnis expers ejus subit conspectum, tangit misericordiae viscera, & ex gratia sibi concedi petit, quae in promissis fidelibus factis blandè adeo divina promiserat clementia. Dominus ergo ocyus de Throno suo surgit, flectit Principum corda, & favorem omnium conciliat, annuit benignissime consiliis, quin & reliquas jungit causas, & suavissimo adeo ordine inter se invicem concurrere facit, ut non nisi felicissima inde fata proveniant. In alia tamen omnia improbi hic abeunt, qui cum pietatis imperia capessere nolint, neminem divinam laceffunt, & justitiam Dei incurrunt, cum misericordia se indignos reddiderint. Deus itaque digna laborum praemia referre paratus, comminationes impiis factas in mentem sibi revocat, revocat scelera, non obstante minarum rigore commissa, quin & mox exardescit odio, flagrat ira, meditatur vindictam, sed & exercet, dum remora nulla odiis malevolorum posita, conatum sufflaminat successus; sicque acerbiora impiis format paratq; fata.

(13.) vid. Camer. in hor. Success. centur. I. p. 366.

§. III.

Neque tamen in eam sententiam Lector benevolus abduci sese patiatur, quasi nostra haecenus de fatis dicta, ad omnia eorundem genera extendi debeant; quin potius *de via Dei ad praescriptum à se ordinem composita* verba nos fecisse fatemur. Etenim neminem nostrum latere putarim, duplicem Deum sibi delegisse viam, qua successus rerum humanarum ordinaret. Altera enim dum incedit, ordinis sui terminos observaturus, eam hominum rationem habet, ut actio-

nes

nes illorum expendat, & pro bona vel mala earundem conditione Fata decernat. Ast dum premit *alteram*, supra ordinem antea dictum sese quasi extollit, eo perductus sublimiora causarum genera agnoscit, & seposito quodammodo actionum humanarum respectu prospere res malorum, sinistre vero bonorum cedere permittit.

aliae

§. IV.

Etsi autem primus omnium locus Deo in hac causarum serie competat, non excludendi tamen ideo sunt *Eruditi ipsi* suae itidem fortunae fabri. Illis enim fortuna à Deo est parata, qui ordini divino conformes sese gerunt, prout contra ea illos infortunium expectat, qui partium suarum obliti ordinem divinum deserunt. *Sed hic ordo praeter ea pietatis officia, quae ad integrum solius Dei cultum spectant, & in semet ipsos maxime descendere jubet eruditos, itemque cautè explere ea, quae Principi juxta ac aliis debentur, officia.* Quod si enim in aula velut in selecto sibi theatro variis admodum actibus providentia divina ludit, tum is sane, qui fata meliora sperat, *nil quicquam sine Dei immortalis ope, consilio, &c. auspicietur.* Secus qui fecerit, neque consultus consultus erit, nec fortis fortis, sed etiam sapientissima consilia insipienter tandem desinent, & generosa maxime facta infamem exitum consequentur. His praemissis suae felicitati ulterius aperiet fenestram, qui severus quasi in semetipsum factus, semper & ubique *superare affectus*, & iis demum suppressis officia curare laborat. (14.) Ea namque ratio est affectuum dominii, ut dicto suo audientes tandem in exitii barathrum dent praecipites, in salvo contra ea relictis, qui laudabili apostasia suscepta, virtutum coeperunt agnoscere imperia. Hoc facto suis etiam rebus optime consulunt, *quos fulgens in pectore Candor*, & exoptata (15.) Zopyri fidelitas Principibus commendat. Quandoquidem enim fides omnis societatis & amicitiae fundamentum est firmissimum, non nisi prosperitas expectabit ministrum, qui hanc sine fuce Principi probat, seduloque cavet, ne vel suspicionem sinistrae fidei aut levitatis incurrat. (16.) Sed haec fides non in verbis otiosa delitescat, verum in ipsa consultatione per *modestam libertatem loquendi* sese exerat. Nam Reipublicae detrimento est curia elinquis, aut non nisi suspensa, & quo ducantur inclinatura respondens; & consiliarius ipse sibi certissima damna parabit, qui lingua ad fortunam Principum composita, honesta pariter atque

(2.) Ex parte
IPSORUM, de
quibus agimus,
ERUDITO-
RUM.

atque inhonesta eorundem facta approbat. (17.) Neque minorem felicitatem *provida cunctatio & circumspectus agendi modus* erudito in aula conferre poterunt. Sicut enim inordinatus festinandi impetus verni instar flosculi vix ætatem felicem patitur, perennantibus contra ea consiliis tarda maturitate susceptis; ita aulicus feliciter res suas gesturus, maturo consilio & prudentia circumspecta animum in omnem muniet firmabitque eventum. (18.) Accedat tamen & *tenax in consiliis taciturnitas*, quæ nec metu nec spe elici ex se patitur vocem, occulta Principis forte prodituram. Qui enim linguam, ad naturæ institutum, labris & dentibus rite tenet inclusam, is tutissimus erit ab omnibus malevolorum insultibus. (19.) Denique in eam curam felix in aula futurus sedulo incumbat, ut *omnibus sese præbeat benignum, sine terrore venerandum, paucis familiarem, omnibus equum.*

(14.) Facit huc quodammodo elegans Inscriptio in Curia Ratisponensi aureis literis tabulæ marmoreæ insculpta, & inde ex parte repetita in vestibulo Cancellariæ Altenburgensis, quæ sic se habet: *Quisquis senator curiam officii causa ingrederis, ante hoc ostium privatos affectus omnes abjicito, iram, vim, odium, amicitiam, adulationem; Reipublicæ personam & curam subjicito. Nam ut alius equus aut iniquus fueris: ita quoque Dei iudicium expectabis & sustinebis.* Accessere Altenburgi ad initium inscriptionis hæc: *Excute manus ab omni munere, partes patienter audi, benigne responde, juste judica, quisquis Consiliarius* vid. Grubelii Dissert. de Oculo & Oculis in sceptro. (15.) Philippus II. Hisp. Rex inter adamata Symbola habuit & malum granatum, quod hians grana, quæ in eo pomo plurima sunt, ostenderet, cum inscripto lemmate: *tot Zopyros.* Optans scilicet sibi & totidem amicos, quot in malo grana essent, & tam fidos, quam olim Dario Zopyrus fuerat, quem notum est corpore ultro mutilato Babylonem urbem in Regis suæ potestatem redegisse. (16.) Vid. Elias Reufnerus in hort. Historico Polit. Cor. 3. Flor. II. p. 320. (17.) Tac. lib. II. anal. c. 34. l. 2. c. 38. Conf. Jacobus Lebleu, Professor Giessensis in Instructione pro formando Consiliario; item Gruterus, Forstnerus, Böeclerus Comment. suis ad Tac. & imprimis ad orationem Mutiani l. 2. hist. c. 77. ubi multa hujus generis præcepta sparsa videas. (18.) Schönborn. pol. l. 3. c. 24.

§. V.

Non omnino tamen hic abesse poterit **RESPECTUS PRINCIPIS**, certo itidem modo fortunam ministrorum fabricantis. **Tanta enim vis capiti à natura est indita, ut suo influxu membra sibi quodammodo conformia reddat; neque aliter Princeps se habet in aula, cujus**

aliæ
3. ex parte
ALIORUM
tum
Principis,

cujus indolem potiora ministrorum ingenia induere constat. Hæc dico: sit positus in throno Princeps infucato honestatis studio deditus, suo complectatur amore eruditorum gentem, esto strenuus justitiæ defensor, & adulatorum osor, tum nec prospera destituentur fortuna, qui virtutum illius referunt imaginem. Ita namque pios & justos quæret ipse ministros, repertos sollicita cura fovebit, & assurgere jubebit altius, imo mascule à malevolorum insultibus defendet, quos in gloria Dei, & promovenda salute proximi totos observabit. Quanta tamen hisce dignis laude aulicis à justo Principe fortuna paratur, tanta certe mala ab ordine illo deflexos expectabunt. Neque enim aliter poterit Princeps, oppositorum memor, quam odio plus quam Vatiniano prosequi impios, non nisi commodo privato, luxui, otio, honorum studio, & nescio quibus voluptatibus addictos; neque odio prosequetur solum, sed ponet etiam obicem conatibus, supprimet eos, nec ullas in aula radices agere patietur. Id vero dolendum, quod non omnibus Principibus ea laude digna mens, hic sit consecrandus æternitati animus. Cum enim omni tempore extiterint multi, qui omnem penitus abjurasse pietatem, occidisse justitiam, honestatem omnem sepeliisse quasi videbantur; dubium nullum, quin miserrima quoque fors, contemptus scil. odium, convitia, carcer, exilium, mors ipsa, & quæ non? justos exercuerint ministros, iniquis è contrario summa fortunæ culmina conscendentibus.

§. VI.

Proximi à Principe sunt **MINISTRI QUOQUE ALII**, ergo nec hi ab isthac causarum catena prorsus excipiendi. Quandoquidem enim & his aditus ad Principem conceditur, suis pariter actionibus & sermonibus in aliam atque aliam formam ejus animum flectere norunt. Sed & isti in duplici discrimine comparent: quippe vel conscientia audiunt dictamina, iusta servare parati; vel callo quasi obducti nullum habent aut exiguum virtutis honestatisque sensum. Qui ad priorum transivere castra, sollicitam collegarum rationem habent, ita tamen, ut honestos honestorum conatus juvent, approbent, fulciant, & in executione atque progressu omni modo promoveant, suppressis è contrario iniquis improborum consiliis. At qui cum classe altera facere non erubescunt, veneni instar fugiunt instituta proborum, nec fugiunt solum, sed & remoras, quas possunt gravissimas po-

tum
Ministorum,

B 3 nunt,

etum populi.

nunt, neque hoc tantum, verum animis Principum in suam potestatem redactis, violento modo personas etiam ad internecionem usque oppugnant. Sed nec populus, & qui extra aulam sunt positi hic excipiuntur penitus; nam & isti affectuum dominio capti variam saepius Ministris fortunam formant. Hic ille causarum cursus, pro ingenii mei modulo delineatus. Avocor jam ad exempla, sed terminis admodum angustis includenda: quis enim omnia colligeret? quis praecipua? etsi illis solis intentus? ut adeo Te, Lector Benevole, paucissimis contentum fore confidam. Et quia mentis humanae dianoxa hebetior est in applicatione causarum ad individua, quippe accurata omnium circumstantiarum notitia destituta; proinde vitio mihi verti non posse spero, si propositis factorum quorundam exemplis causarum determinationem cujusvis meditationibus reliquero.

SECTIO II.

sistens

Factorum exempla,

& quidem

(I.) Ecclesiastici Ordinis.

§. I.

EXEMPLA
ORDINIS
ECCLESIA-
STICI.

AB ECCLESIASTICIS igitur capiamus initium, qui licet magno numero in medium produci possint, brevitati tamen nobis studuisse licebit. Subit vero primo nostrum conspectum *Aula Regis Galliae* duorum Cardinalium Richelii, & Mazarini fati clarissima; utriusque enim horum felix progressus, & exitus obtigit, quamvis neuter ab omni fortunae sequioris impulsu prorsus fuerit immunis. RICHÉLIUS enim Episcopus olim Lucionensis post caedem Aneræi Avenionem in honestum aliquod exilium migrare coactus, quo in secessu etiam libros contra Reformatos consignavit. (19) Aperte deinceps in aulam deductus Consilarii Regii marisque Praefecti vices sustinuit. Regem ipsum *Ludovicum XIII.* adversus blanditias maternas Mariae Henrici IV. viduae sic firmavit, ut eum etiam mota prius, mox plane exclusa matre rexit. Quin & ejusdem Regis permissu, raro quodam exemplo obtinuit, ut fremente licet Procerum Imperii caterva, ad corporis sui custodiam militum armatorum centuriam sibi sustentare liceret. Etsi vero majorem, ac quidem par erat, potentiam arrogasse sibi videretur, faventem tamen fortunam ad ultimum usque vitae terminum ita habuit, ut etiam morti vicinus bona sua omnia Regi & ami-

CIS

cis testamento legare, & Julii Mazarini operam Regi de meliori com-
mendatam relinquere potuerit. Hoc factò obiit per opportuno tem-
pore Lutetiæ quarto Novembris anno 1642. æt. 56. Opportunè dico,
*nec si in vivis mansisset diutius, summo loco staturus fuisse putatur, Rege
prementis potentia pertaso, multa que de moribus ejus jam jam tacite con-
questo.* (20)

(19) Vid. Gramondus l. 11. p. 520. (20) Vid. Priolus l. 1. c. 3. & qui ad-
ducit Becm. in Hist. orbis Georg. & Civ. p. 541. conf. Freh. Theat. p. 70.

§. II.

Richelio JULIUS MAZARINUS (si fides habenda Frehero Ma-
zarinum etiam Eruditorum Theatro inserenti) succedat, eo nomine in-
felix à Becmanno habitus, quod aperto exilio Galliam relinquere ali-
quando fuerit coactus. (21.) Cæterum hic fuit fati ejus in aula cursus:
miserat eum Urbanus VIII. Pontifex nuncium Apostolicum in
Sabaudiam, ut Casale Montisferrati munimentum, Gallis ce-
dentibus, restitueret Pontifici; quod cum brevi post Gallorum vi-
cissim potestati redderet, non modo Cardinalis Riccolocii favorem,
sed & Regis Ludovici decimi tertii gratiam sibi conciliarat. Qui et-
iam Cardinale Riccolocio defuncto, status Consiliarium & Parlamen-
ti Regii Assessorem eum declaravit, testamenti quoque sui executione
huic Mazarino una cum aliis in lecto fatali commissa. Maxime ta-
men Reginae adhæsisse dicitur, quacum & communem sæpius invidi-
am non sine dolore sustinuerit. Post mortem Regis Ludovici XIII.
ejusdem filio Ludovico decimo quarto, gratus adeo acceptusque fuit, ut
mandatis ipsius & Regii sanguinis Principes obtemperare cogerentur,
qui sæpius quidem in necem ipsius, sed frustra conjurarunt. Obiit
enim pacatus, nec sine luctu Regis Parisiis d. 9. Mart. 1661. (22.) Quæ
alias Mazarinum inter & Richelium institui possit collatio, in præ-
senti tanquam rem à scopo nostro alienam mitto. (23.)

(21.) Loc. cit. Hist. Orb. Geograph. 541. (22.) Freh. in Theatro. p. 71. (23.)
vid. Keuchenii Comparatio Cardinal. Mazar. & Richel. quam etiam
ex parte fecit Becm. loc. cit. conf. Author vitæ & ministerii amborum
Richel. & Mazar. à Becmanno adductus. Priolus in vita Ludovici XIII.

§. III.

Penitius in Ecclesiam penetraturus, Theologum Borussum
video, sed infelicem postremi sui fati fabrum. Is vero notus ille est
JOHANNES FUNCCIUS, qui non proletariam in Chronologicis
(24.) do-

(24) doctrinam, & in Theologicis scientiam sibi comparaverat, à Socero tamen Andrea Osiandro in partes tractus, pravarum ejus opinionum extitit defensor. At hic in eo defervuit æstus, cum anno 1556. meliora edoctus Palinodiam caneret, sicque ad frugem meliorem redux, optime sibi suisque rebus consuleret. Hoc ipso enim supremum locum in gratia *Alberti* Principis Borussiae & Marchionis Brandenburgici obtinuit, qui proinde munere Concionatoris aulici eundem fungi voluit. Nescio tamen, quibus ambitionis furiis subsequo tempore agitatus, demandatum sibi munus reliquerit, eoque relicto ad civilia obeunda munia se contulerit, ex Concionatore Consiliarius politicus, sed infelici successu, factus. Ab eo enim tempore Paulo Scalichio confusionum & motuum in hac Aula principi adherere cœpit, hinc Alberto ad prava consilia fuit Author, tandemque subditos Duci reddere suspectos curavit. Quod ubi Statibus innotesceret Prutenicis, Funcii nomen de perturbatione pacis publicæ ad Regem Poloniae detulerunt, qui mox in vincula conjicere reum, eique in foro Regii montis d. 28. Octobr. anno 1566. æt. 48. caput amputare jussit. Versus ejus vel in vulgus noti sunt, quos ante supplicium dixisse fertur:

*Disce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.*

(24) in pretio habent eruditi opus Funcii Chronol. ad quod Socer ejus Andr. Osiand. subsidia suppeditasse creditur. vid. Adami vit. Germ. Theol. p. 411. Micræl. H.E. p. 753. Mat. Th. Hist. p. 1030.

§. IV.

Ad Electoralem Saxonum aulam jam perductus, MARTINUM MIRUM sua nobis fata offerentem video, quem anno 1532. Weida pepererat, Jena vero Professoris & Superintendentis officii anno 1573. ornaverat. At invida quasi Dresda videbatur facta, hinc Mirus è Salana in Aulam Electoralem vocatus exoptatæ memoriæ Principi Augusto à confessionibus, concionibus aulicis primariis, & consiliis Ecclesiasticis esse jubebatur. Neque facti pœnituit Mirum, cum ab anno 1574. ad annum usque 1588. largissimos verè Augusti Electoris radios benignissime erga sese spargi indies cerneret. Ea tamen catastrophe deinceps secuta, quæ ipsum ab Electore Christiano I. dimissum Jenæ exulare coegit. At pristinae dignitati à Sophia Brandenburgica

burgica defuncti Electoris vidua restitutus, & circuli Misnici visitator constitutus anno 1593. æt. 61. obiit. (25) Epigramma ei hoc fuerat scriptum:

*Martinus Mirus doctus dictusque Magister,
Philosophus fene Theologusque fuit.
Expertus Dresdæ sinuosa volumina sortis,
Hinc uni didicit fidere rite Deo.*

(25) vid. Micræl. H. E. p. 776. & Adriani Baieri nomenclaturam Professorum Jen. unde Freherus hoc epigramma in Theatr. retulit.

§. V.

Mirum excipit POLYCARPUS LYSERUS pater, (26) quem August. Elect. summa gratia fuerat complexus, hinc non Profess. solum Theologiæ, Pastorem Ecclesiæ & Consistorii Wittebergensis Assessorum anno 1577. vocaverat, sed & variis Theologorum conventibus ob librum concordiæ habitis interesse voluerat. Sequentibus tamen Christiani I. temporibus Aula ei quodammodo videbatur iniqua, idque ob Calvinianæ doctrinæ virus insidiosè tum ab Aulicis sparsum. Quanta tamen factorum atrocitas imminebat Lysero necdum in Aula degenti, tanta eorundem benignitas successit, cum Ecclesiasticum in Aula officium humeris suis pateretur imponi. Ex quo enim Martinus Mirus excesserat, felici adeò successu conciones aulicas habuit, ut de propenso Friderici Wilhelmi Administratoris, & Christiani II. Electoris affectu, nec non utriusque fervido pietatis studio gloriari potuerit. Felix ergo transit Lyserus anno 1610. eo scilicet, qui Sere- nissimi Electoris lethum proxime antecesserat.

(26) tres erant Lysero filii: Polycarp. Lyserus, Doct. & Prof. in Acad. primum VVittebergensi, dein Professor, & Superintendens Lipsiæ; alter VVilhelmus Lyserus, Doctor, Ecclesiæ Torgensis Superintendens, ac dein per 25. annos VVittebergæ Professor; tertius Fridericus Lyserus D. Ecclesiæ Eulenburgensis Superintendens. vid. Micræl. H. E. p. 766. Adami vit. Theol. Germ. p. 798. seqq.

§. VI.

Post Lyserum MATTHIAM HOE ab HOENEGG nomine, at quantum, idque felicissimum in Aula Electorali sidus! Prospera, hic ei jam promittebantur fata, cum anno hujus seculi secundo ad sacrum concionatoris aulici munus, ab Electore Potentissimo vocaretur, plenissime tamen eo tempore Hocana necdum sese exeruerat

C

fortuna



fortuna, hinc suscepta prius Ephoria Plaviae, & post hanc directorio Ecclesiarum Germanicarum Pragae, tandem in aula Saxonica regressus, sibi que ad Clementissimum Electoris Johannis Georgii I. mandatum supremi Concionatoris officia conferri passus est. Simul vero atque hanc adierat spartam, simul etiam prosperrimis sese duci trahique fatis observavit. Etenim tanto in eum amore Serenissimus ferebatur Elector, ut non modo splendidis ipsum subinde donis affecerit, sed & perpetuum fere itinerum suorum comitem habuerit. Flagrabat praeterea beatus Vir conservandae, & propagandae verae Religionis desiderio, hinc vel inde felicitas ejus incrementa cepit, quod Electorem eodem orthodoxiae zelo ardentem fuerat nactus. Neque mutationibus interruptus erat hic felicitatis vigor, sed eo usque perstitit tenaciter, donec vitam morte beata finiret Dresdae d. 24. Novemb. An. 1645. aet. 65.

(27.) vid. Freh. in Theatro p. 517.

§. VII.

Non moror diutius, sed pleno cursu tendo ad illustre illud providentiae Divinae exemplum *JACOBUM WELLERUM à Molsdorff*, qui licet vetustissimae & majorum tempore nobilissimae (28.) Familiae deberet originem, ea tamen jam ad tantas redacta erat incitatus, ut patre pistore noster fuerit natus Neukirchae. 1602. Infans sex annorum, octodecim nummorum viatico instructus, extra patriam in Scholas excurrit, unde solide positae studiorum fundamentis Academiam Wittebergensem adire decrevit. In itinere quadrante Joachimici à Wilhelmo Lysero, Torgaviensium tum Superintendente donatus, navem conscendit, & soluto nautis portorio, unicum duntaxat grossum secum inferebat in urbem. Eo perductus, servitiis quidem durioribus victum sibi acquirere coactus, sed nec hic efficacissima providi Numinis cura destitutus fuerat. Ex quo enim jura Magistri ei collata erant, publica tanto cum applausu aperuit collegia, ut saepius ultra ducentos & sexaginta auditores praesentes viderit. Quae omnia ubi fama fatum futurum paratura Dresdam pertulisset, non amplissimo tantum stipendio studiis Welleri succurrit Elector, sed & brevi post ordinariam linguarum orientalium professionem ejus curae commisit. At hac fortunae Wellerianae extra aulam tantum primordia. In ipsa vero aula fortunatum ei sidus oriri coepit, cum ipsum

Poten.

Potentissimus Elector Saxon. Johannes Georgius I. in locum defuncti haud ita pridem Höei surrogari vellet. Jussa cepisset Wellerus, & An. 1646. in eum locum devenit, ubi velut in Theatro orbis amplissimo inclytas exerere virtutes, & dignum earundem fructum capere poterat: Imo revera cepit. Tanta namq; vis virtutibus Welleri inerat, ut Reverendissimus etiam ac Serenissimus Archi-Episcopus & Elector Moguntinus inito cum nostro colloquio, egregia benevolentiae signa praesenti dederit. Quin & fidelissima sui officii cura tantam Electoris sibi gratiam conciliaverat, ut lautum quoddam praedium Karsdorffium ab eodem dono acceptum retulerit. Neque minori amore Johannes Georgius II. complectebatur Wellerum, qui proinde ei jam Francofurtum, jam Ratisbonam profecturo comes perpetuus semper adesse debebat. Quare etiam non sine luctu mortem ejus cognovisse dicitur Elector An. Christi 1664.

(28.) Qui ex hac VVellerorum familia clari olim extiterunt in Theologia, Jure & Politia, nec non militia, cum cura collegit Cyriacus Spangenberg speculo nobilitatis Smalcaldiae Anno 1595. edito part. 2. lib. II. c. 23. Vid. Joh. Sebast. Mitternacht. Panegyric. VVeller. Lipsiae 1666. in 4to. impress.

§. VIII.

Sed quid dicam de tuis, *GEIERE* beatissime, fatis, tibi etiam in aula Electorali declaratis? Natus noster erat Lipsiae Anno hujus seculi decimo quarto, eodem scil. tempore, quo adversa nostrae Ecclesiae, ob mutationem verae religionis in quibusdam aulis, Fata accidebant. Equidem Lipsiae se natum, datum se fuisse Lipsiae Geierus firmiter erat persuasus, pro in summa dexteritate docentem eum vidisses in cathedra Academica pariter atq; Ecclesiastica. At alius fatorum positus nostrum vocabat, quin & invitum trahebat. Postquam enim Wellerus ad beatorum sese numerum receperat, Geierus succedere Praeceptoris suo juberetur; renuit quidem (29.) semel atque iterum; tandem tamen Serenissimus Elector Johannes Georgius II. ad se pertraxit Geierum, ejusque curae suam animam concredidit. O Virum vere beatum! O Fata verè secunda! Ex quo enim suo in aula fungi coeperat officio, tanta eum secuta est autoritas, ut ipsum probi venerarentur cuncti. Quin & Serenissimi Electoris tantus erat in eum affectus, ut verba Geieri publice pariter ac privatim ad se facta, haud secus ac à Deo sibi dicta semper reputarit. Hinc florebat Religio, neque iis unquam con-

matibus successus deerat, qui vel in propagationem vel conservatio-
nem ejusdem fuerant intenti. Imminebat tum nostræ Religioni apud
Silesios periculum, & ejus libertas cum ultimo Piassteorum Princi-
pum sepelienda prorsus videbatur; at Geieri rogatu Johannes Geor-
gius II. literis & legationibus apud Augustum Imperatorem Leopoldum
liberum Religionis exercitium impetravit. Ut adeo jure opti-
mo tristis, & sollicita nostra extiterit Ecclesia, cum suæ jacturæ me-
mor beatam Geiero analysin Fribergæ d. 22. Septemb. An. 1680. ob-
tigisse audiret.

(29.) Præbuit hoc beato Casparo Zieglero ansam, conscribendi solidissimum
de Clerico Renitente tractatum, quem vivente adhuc Geiero con-
fectum, ejus tamen manibus certis de causis consecrare maluit. Reli-
qua quæ hic adduximus vid. in singularibus Geieri, quæ à summe Re-
verendo Domino Doctore Alberti delineata comparent in VVitt.
memor. Theol. volum. 2. p. 2053.

(II.) *Ordinis Politici Exempla.*

§. I.

EXEMPLA
ORDINIS
POLITICI.

DUm Politicorum Fata jam mecum expendo, Gallia innumeros qui-
dem alios, hic tamen Brissonium nobis, atque Thuanos maxime
considerandos præbet. *Barnabæ Brissonio* (30.) tanta prius Parisiis
obtigerat felicitas, ut vix adolescentiam egressus, splendidum jamjam
in summa Galliæ curia obtinuerit locum. Quo in munere tanta sui
nominis famæ augmenta addidit, ut à Rege Henrico III. inter consili-
arios adscitus, primum Fiscii Patronus, inde sancti Consistorii assessor,
& postremo amplissimi Senatorum ordinis Præses renuntiaretur. Quin
& Rex ipse gloriari de eo solebat, nullum in orbe Christiano esse Prin-
cipem, qui haberet, quem Brissonio suo in literarum gloria oppone-
ret. Laudibus ejus accedit, quod Henricus Juris Gallici codicem e-
diturus, solum Brissonium inter togatos maxime judicaret idoneum,
cui gravissimum hunc laborem exantlandum committeret. Nihilo
tamen minus ambitio in eo erat immodica, & temerarius periculo-
rum contemptus. Cum enim æstuante novis tumultibus Gallia, urbs
ipsa Parisiorum à Rege suo defecisset, cæterique in officio collegæ fu-
ga sibi omnes consulissent, is solus spe primas in Senatu tenendi, &
compescendi efferatæ plebis animos in urbe permansit. At dum Præ-
sidis.

fidis officio functurus Senatum adiret, facinorosi ex ima plebe homines in horrendum carcerem miserum detrudunt, & vix spatio ad confitendum peccata concessa, carnifici suspendendum tradunt die 15. Novemb. An. 1591.

(30.) Vid. Thuan. l. 28. & 102. Conf. Spizel. felic. lit. p. 792. & 793.

§. II.

Progredior ad JACOBUM AUGUSTUM THUANUM, è familia in aulis Regum Galliae clarissima prognatum, (31.) qui cum lucubrationibus multis, multis peregrinationibus non sine fructu (32.) peractis, magnae inquisitionis Senator, deinde libellorum supplicum Magister evasisset, in sanctius Consistorium à Rege receptus fuit Anno 1588. Defuncto tandem patruo Thuani Augustino Praeside Parlamenti Regii primario, locum ejus jampridem sibi designatum à Rege Anno 1595. occupavit. Scissa deinceps in factiones Gallia, partes Regis strenue sibi defendendas suscepit, cui etiam adulta jam factione urbe excedenti, magna fide & constantia adhæsit, non ideo tamen ab aliis sinistrorum factorum occuribus immunis. Cum enim Ao. 1590. in urbem Parisiensem rediisset, iniquas factionum insidias expertus est, qui eum cædis Gvisii haud ita pridem commissæ conscium, ad animos Regionum, & res in eum casum præparandas advenisse putarant. Hinc mutato subinde domicilio ad cœnobium S. Francisci sese recipere coactus, militari tandem habitu custodias fefellit, & sub vesperam in suburbia deductus, hostium se manibus feliciter subtraxit. Blesas dein profectum subito admisit Rex, in solitudine & morbo ibidem positus, cui etiam, ut cum Rege Navarræo rediret in gratiam, autor tum ac suasor fuit, quod hætenus multi, sed frustra tentaverant. Rebus denique feliciter cum præcipuis Henoticæ factionis Ducibus compositis, totoque biennio in corrigendis Academia Parisiensis statutis cum Reginaldo Belnensi (etsi non sine invidis malevolorum insultibus) consumto, obiit Anno 1617. æt. 63. (33.)

(31.) Avus enim Augustinus Senatus Parisiensis Praes. à Francisco I. Rege lectus obiit Anno 1545. Hic Christophorum, & 21. præterea liberos genuerat: Christophorus itidem primarius Senatus Parisiensis Praes. hunc Jacobum Augustum Lutetiae Parisiorum ex Jacoba Tullia Coelia Anno 1553. suscepit. (32.) Nunquam enim, dum peregrinabatur, intermittēbat studia, & sicuti jam tum opus Historicum meditabatur, ita sedulò clarorum Virorum ambiebat amicitiam, quo-

rum familiaritate ad propositum se habere opus observaret. (33.) Vid.
Vita Jac. Aug. Thuani à Gerardo à Stöcken Holsato sub finem Thu-
ani enucleati delineata.

§. III.

At longe infelicior patre in eadem aula filius FRANCISCUS
AUGUSTUS THUANUS, Parlamenti quoque Regii Lutetiæ consili-
arius, extitit. Quod enim conspirationem (34.) contra Regem su-
um cum Hispanis initam, & sibi ab amico Henrico Deffiato Marchi-
one Cincmarckio sub fide silentii detectam non propalasset, cum eo-
dem Marchione publicè securi percussus vitam Lugduni Gallorum d.
12. Septemb. An. 1642. finiit. Dignum nobis visum fuit epigramma,
quod de duobus hisce olim conceptum & hic subjungeretur, sic, verò
se habet illud:

Morte pari periere duo, sed dispare causa,

Est reus iste loquens, est reus ille tacens,

Morte pari periere duo, sed perdidit utrum

Fracta fides, alium perdidit arcta fides,

(34.) Vid. Acad. scient. & art. Isaaci Bullarti.

§. IV.

Ex Anglia amplissimo illo fatorum theatro, primo omnium lo-
co THOMAS MORUS sese conspiciendum præbet, qui Angliam e-
gressus nunquam, propria industria, nullo præeunte Magistro Theo-
logus, Juris Consultus, Philosophus, Orator, Poeta, Historicus, lin-
guæ Græcæ & Latinæ peritissimus, scriptis etiam clarissimus (35.) eva-
sit. Invitus (36.) in aulam à Rege Henrico octavo tractus, summum hu-
jus ab initio experiebatur amorem, qui eum etiam honore eque-
stri ac Lancastriæ, postmodum totius Regni Cancellariatus di-
gnitate post mortem Thomæ Volsæi Anno 1534. ornavit. Istam ta-
men Mori felicitatem horrenda adeo catastrophe tandem excepit, ut
ignominiosum mortis genus, Regis potius furore, quam ullo suo meri-
to experiri fuerit coactus. Quia enim Regis Henrici Octavi cum
Catharina Regina divortium, novasque cum Anna Bolenia nuptias,
nec non Romani Pontificis dignitatem à Rege abrogatam, suo nole-
bat approbare calculo, illico bonis omnibus omnique dignitate exu-
tus, in squalidum detrudebatur carcerem. Inde protractus coram
Judicibus à Rege nominatis sistitur, qui deliberatione inter se
facta,

facta, capitis supplicium paulo post eidem nunciant. Sic itaque d. 7. Jul. An. 1535. in editiori sub turri Londinensi area securi percussus, toti secum Angliæ caput (37.) abstulisse dicebatur.

(35.) Opera Thomæ Mori conjunctim prodierunt latine Lovanii An. 1566. in fol. (36.) Mens ejus mali forte futuri præfaga in aulam sese trahi noluit, quin mortalium rerum satur, frequentius optaverat, ultimos vitæ annos obtinere liberos, quibus vitæ hujus negotiis paulatim se subducens aternitatis negotium agere posset. vid. Spiz. infel. litt. p. 1039. (37.) Carolus V. Imperator accepto de morte Mori nuncio dixisse fertur: Rex Henricus toti Angliæ caput amputavit, cum Morum sustulit, referente Jer. Drexel. in Tobia, & ex eo Quensted in Dial. de patriis Doctorum Virorum. Plura de hoc Moro videas in Heroologia Anglicana H. H. & Iconibus Virorum illustrium Boissardi part. II. p. 121. vid. & Cave Append. ad Histor. Litter. p. 20. conf. & Sylvii. Flor. Angl. in Henrico VIII. Maxime tamen dignus lectu est Stapletonus in descriptione vitæ Mori.

§. V.

Thomæ Moro, THOMAM CROMWELLUM fati ejusdem socium & nos associamus. Is enim Regi Henrico VIII. commendatus summam ejus gratiam obtinuit, inde vel maxime claram, quod collata in eum anno 1536. Baronia de Okeham, Equitem ordinis Georgiani, Sigilli privati custodem, & Secretarium primarium constituerit; quin & denique Comitem Essexiæ, Consiliarium intimum, magnum Angliæ Cancellarium, & ordinis Ecclesiastici Præsidem anno 1539. creavit. Suaferatis aliquando Regi, ut sicubi Regum omnium Christianorum evadere velit ditissimus, omnium cœnobiorum thesauros ad se transferret, ejectis è Regno Monachis, non nisi è sudore plebis inopis viventibus. Quod consilium adeo Regi fuit ad palatum, ut mox Cromvvello potestatem dederit, monasteria in Regni provinciis quamplurima demoliendi. Nihilominus & hic fluxam atque fragilem aulicorum fortunam suo exemplo probavit. Etenim Rex uxorem jam tum tertiam Annam, Ducissam Clivensem, sine culpa matrimonio exegerat, quod cum dissuasisset, & ægre tulisset Cromvvelus, à Thoma Duce Norfolkiciæ aliisque malevolis paulo post fuit accusatus: quasi optare se dixerit, ut divortii Regii authorem pugione sibi confodere liceret. Tum vero Rex subito miserum & nil minus expectantem, in ipso Regiorum Consiliariorum confessuprehendere, atque in carcerem Turrim vocatum, conjicere jussit. Et quia Cromvvelus

vvellus ipse in dignitate adhuc constitutus legem paulo ante tulerat :
ut quisquis in Turrim Londinensem captivus includeretur, mox sine
ulteriori inquisitione adjudicaretur morti ; hinc ex lege propria Ma-
jestatis tamen Regiæ læsæ simul atque hæreseos nomine damnatus , se-
curi collum submittere coactus est Londini d. 28. Jul. anno Christi
1540. (37) Sic ergo :

Fortunæ speculum Cromvvellus scandit ad alta,
Ut casu graviore ruat, Regisque favore,
Tollitur, hincque cadit livore oppressus inique.

(37) vid. Martyrologium Magnum Germanicum D. Pauli Crocii, ex quo
Freherus sua hausit l. c. p. 765. Nec non Heroologiam Anglicam, in
qua sub effigie Cromvvelli versus illi comparent.

§. VI.

Sollicitor à brevitare superius promissa, ut missis tot tantisque
eruditorum cum alibi, tum vel maxime in aulis Cæsarum fatis, unico in
Aula Cæsarea consiliario, AUGERIO GISLENIO BUSBEQUIO
inhæream. Prodiit hic è nobili illa & vetusta Busbequiorum apud
Flandros familia Cominii in Belgio anno 1522. cumque strenuam e-
loquentiæ dedisset operam, à Ferdinando I. Imperatore Viennam e-
vocatus, ipsi & Maximiliano filio operas fideles præstitit. Legatio-
nibus etiam compluribus cum honore, magnoque Rei literariæ emo-
lumento (38) functus est, quarum potiores Constantinopolitana &
Amasiana fuerunt, ab eodem etiam literis mandata. Anno 1562. By-
zantio reversus, quo secunda vice ante biennium Legatus erat missus,
Elisabetham Maximiliani filiam, & Carolo IX. Regi Galliarum in matri-
monium datam duxit ipse anno 1570. in Galliam, cujus etiam Aulae
Præfectus, tandem tamen Rudolphi II. Cæsaris Legatus vicissim factus
fuit. Ab hoc cum aliquando Busbequius jam tum septuagenarius se-
mestri spatium invisendi patriam impetrasset, iter per Normanniam
Belgium versus instituit. Dum vero in vico quodam Gallia dicto ho-
spitatur, militum manus noctu irrumpens vi abripit Busbequium, &
equo impositum secum abducit. Hic ille vim sibi Legato contra
jus gentium fieri clamans, nebulones istos adeo perterruit, ut cum di-
luculo omnes ab eodem aufugerent. At quia lethalem ex tanto ter-
rore morbum sibi imminere credebat, in ædes vicinas Toparchiæ
Maillocensis, deferri se jussit, ubi vita decessit anno 1592. æt. 70.

(38) Fuit

(38) Fuit Busbequius non solum Politicus excellens, gravis ac prudens, sed mansuetiorum etiam musarum amantissimus, & imprimis rerum naturalium cognoscendarum cupidissimus, judicio Lipsii cent. 2. epist. Select. 99. Hinc in Legationibus suis Veterum inscriptiones, animantium orientis, & herbarum naturas investigavit, quas Petro Andrea Mathiolo & Carolo Clusio communicavit. Clusius autem inscriptiones Græcas ad Janum Gruterum misit, qui eas universali inscriptionum operi inseruit. Quin etiam ultra 100. antiqua tum græca, tum latina calamo in membranis scripta volumina, studiose media in Græcia collecta Cæsareæ Vindobonensi Bibliothecæ consecravit. Epistolæ ejus Turcarum statum declarantes notæ sunt. vid. Melchior Adami in Vitis Jurisconsultorum, & Quensted, de patriis illustrium virorum p. 169.

§. VII.

Aula Electoralis Saxonica NICOLAUM CRELLIUM hic nobis maxime memorandum tradit. (39) Vixit is Christiani I. tempore, quo secretis & callidissimis aulicorum quorundam machinationibus nihil magis effectum erat, quam ut Calviniana Religio in has terras inveheretur. Neque hoc solum tempore vixit ille, sed suggestionibus quoque suis, dolis & fallaciis, sectariæ hujus factionis turpissimus promachus & antesignanus extitit. Nata erat optimo Electori Christiano I. filiola, cujus baptismo externi quidam atque peregrini præcipuæ dignitatis Viri interfuturi erant. Clanculum itaque Crellius una cum aliis Serenissimum Parentem adibat, monebat, ut usurpata hactenus maligni Spiritus adjurationem, quam Exorcismum dicimus, tanquam medi generis ceremoniam in sacra filiolæ lustratione, omitti juberet; id ni fieret, peregrinis illis exorcismos istiusmodi averfantibus scandalo rem fore prædixit. Tum ergo facile consensit mitissimus atque omnium fallaciarum ignarus Princeps in rem, uti prima specie videbatur, tam pio consilio deliberatam. At perversus tanti facinoris autor, & qui eum sequebantur asseclæ, cum jam exemplo Electoris satis suis rebus prospexisse viderentur, non cunctandum rati, ut passim per Ecclesias aboleretur Exorcismus. Hinc Electoris autoritate usi vel abusi potius, magnis clamoribus postulant, ut tollatur ubique hic ritus, nec ut sua natura ἀδιάφορον, sed quod Papisticum seculum vehat fermentum, itidemque Magicam excantationem sapiat. Quin & ad alia religionis capita progressi, maximas deinceps in eadem turbas dederunt. Accedebat sceleri & hoc, quod omnes ad inscium

D

fraudis

fraudis Principem obseperant aditus, ut justissimæ periclitantium de religione Theologorum querelæ ad aures ejus pervenire non possent. Itaque jam minis agere, jam carceres, exilia, multas in terrorem non tantum objicere, sed etiam imponere quamplurimis, recte sentientes, quique mascule ipsorum conatibus opponerent, loco suo movere, illisque successores secum optime convenientes dare cœperunt. Sed DEUS hic quasi ex machina, dum mortuo Christiano I. Constantissimum Heroëm Fridericum Wilhelmum, administratorem Provinciarum mitteret. Is enim sparta in se suscepta tantorum moliminum caput Nicolaum Crellium jussit apprehendi, qui Cancellarii, quo functus erat officio, non tantum in Ecclesiarum perniciem, sed in alias quoque novationes scelestissime fuerat abusus. Cum vero anno hujus seculi primo Christianus II. ad usurpandam Electoralem autoritatem legitimis annorum spatiis proveheretur, sumtum & eodem anno fuit de Nicolao Crellio supplicium, quem Rudolphus ipse Imperator capitis damnaverat. Neque tamen ea Crellius tenebatur perpeti, quia ipsum constabat hæresi fuisse addictum, sed quod nolente & ignorante Principe disseminare illam, Homo Politicus, in regiones Saxonicas studuisset, rerumque novarum plurimum esset convictus. Contigit ergo Crellio, quod circa hæc ipsa tempora Essexiæ Comiti in Angliâ, item Bironio Mareschallo in Francia, qui perniciosissimarum in Regias Majestates conjurationum debitas pœnas dederunt. Ut adeo hi anni fere nobilitati sint exemplis aulicorum, è summo dignitatis fastigio sua culpa ad extremam interneccionem præcipitatorum.

(39) Haussimus hæc ex Orationibus B. Thomassii, & ea quidem, quam de Christiano II. habuit, p. 73. seqq. Concionem funebrem Crellio habuit Blumius, Pastor in Donau, in cujus parte prioræ acta synoptice exhibentur. *v. Weckij Chronicon Dysseld. Arnoldi Oberg. in p. 10.*

(III.) Ordinis Medici exempla.

§. I.

ORDINIS
MEDICI EX-
EMPLA.

NE tamen & Medicos præteriisse videar, tres eorundem jam in medium producam. Primus eorum est AVICENNA, quem Ludovicus Nonnius suum quidem conterraneum esse credidit, cum in Hispania sua Cordubensem eum appellaret; Sed Ben Casem diligentissimus autor, qui illustrium Virorum vitas reliquit, (40.) contrariam affir-

affirmat, dum Avicennam Persam in quodam Bocharæ pago natum esse se tradit anno ab Hegira 370. Avicenna igitur his in terris natus Medicinæ studio teneris ab annis totum sese consecravit, & simulata sæpius surditate usus, ut à Magistro disceret clam, quæ audientem se profertenti secreto habuisset. Tantos vero in eodem fecerat progressus, ut ipse primus ausus fuerit *de Regum ac Principum sanitate Philosophari, & apud illos Medici officium felicissime exercere.* Illud enim privilegium nulli ante ipsum Medico fuerat concessum, quoniam *illius terræ Reges* nulla Medicorum ope utebantur ante Avicennam, sed naturæ beneficio, aut etiam tuta experientia, aut aliqua herbarum vi secreta, sanabantur.

(40.) Vid. Geograph. Nubiensis, quam ex Arabico latinam fecerunt Gabriel Sionita & Johannes Hefronita. Prodiit ea Parisiis Anno 1619. in 4. majori. De autore videas Huetium de interpretibus p. 226. Tenzeliū menses Anno 92. p. 875. Huic Geographiæ Nubiensi adjectus est liber, qui inscribitur: De nonnullis orientalium urbibus, nec non indigenarum religione ac moribus tractatus brevis à Gabriele Sionita & Johanne Hefronita, Maronitis è Libano. Quæ ibi traduntur, ea cum aliunde, tum & ex Ben Casem horto rerum delectabilium desumpta sunt. Et in libro hoc adjecto cap. 3. p. 8. ea, quæ de Avicenna adduximus videas. Plura de eodem authore tradit Königius Biblioth. pag. 73. seqq. ut & Quenst. de patriis p. 623.

§. II.

In Aula Cæsarea dignus maxime apparuit JOHANNES CRATO Uratislaviensis, cujus hic etiam injiceretur mentio. Vixerat is per totius sexennii decursum Wittebergæ in convictu Lutheri, (41.) præceptore Philippo Melanchtone usus. Hinc in Italiam profectus Johanni Baptistæ Montano studio Medico imbuendum sese dedit. Sub quo etiam egregios adeo profectus in hac arte fecit, ut non patriæ solum, sed Cæsaribus etiam fidelem operam navare potuerit. Hoc enim, (42.) raro felicitatis exemplo, ob eximiam doctrinam ac morum suavitatem cum prudentia conjunctam consecutus, ut tribus Cæsaribus, patri, filio ac nepoti, (Ferdinando I. Maximiliano II. & Rudolpho II.) ordine nunquam intermisso consilarii ac primarii Medici munere semper æquè charus ad mortem usque inservierit, ac tandem in patria placido & optato fine animam Deo reddiderit Anno 1585. ætat. 67.

(41.) Dum in convictu viveret Lutheri, memoriæ causa non pauca hospitis

D 2

SW

217 7017
sui dicta retulit in commentarium, unde postea Volumen sermonum convivalium maxima ex parte compilatum esse tradit Freh. teatro. p. 1284. (42.) Verba sunt Thuani l. 82. Hist. p. 95. edit: Francofurt. conf. quæ de eodem Cratone habet Boissardus in Icon: Illust. Vir. part. 3. p. 121.

§. III.

Animus est in Saxonia sistere gradum, hinc postremo etiam CASPARUM PEUZERUM in medium produxisse lubuit. Egerat hic circa annum 1560. seqq. Professore Medicum in Acade. Witteberg. unde in aulam Electoris Augusti sæpe vocatus, inter Archiatros tandem adscitus fuit. Apparuit autem summa Electoris in ipsum propensio vel inde, quod eo intercedente Academiae proventum annuum magna quadam accessione auxerit, totius Academiae inspectionem Peuzero senatus Academicæ consensu oblatam confirmavit, eumque filiolo suo Adolpho in arce Stolpensi nato susceptorem in Baptismo esse voluerit. At cum rebus Theologicis se immisceret, Calvinismo suspectus acerbiorum Principis sui indignationem incurrit. Tum in Synedrium Confiliariorum deductus, & à Laurentio Lindemanno de clandestinis conspirationibus accusatus fuit, quod nova dogmata Sacramentaria in terras Saxonicas introducere conatus sit. Eam igitur ob rem ad carcerem damnatus, ultra decennium in eodem arctius detinebatur. Sed cum Anno 1586. Elector Augustus cum Agnete Hedwige Joachimi Ernesti Principis Anhaltini filia celebraret nuptias, precibus Peuzeri commotus, sub certa obligationis formula eum vicissim liberum dimisit. (43.) Ab eo tempore Serevestæ apud Principes Anhaltinos per sedecim annos commoratus, Dessaviæ tandem diem suum obiit Anno 1602. æt. 78.

(43.) Historiam carceris sui, & ex eodem liberationem fuisse ipse perscripsit, quæ edita est Tiguri An. 1615. test. Königio in Bibl. p. 622.

§. IV.

En itaque Lector Benevole ea, quæ de Fatis Eruditorum in aula rudi penicillo delineare placuit: Nostrum non erat, accuratius indagare singula causarum genera, nec omnia in medium producere exempla; primis potius labris rem hanc degustare lubuit, solidiori discussione doctioribus relicta. Interea benignum abs Te expectamus iudicium, quod hoc ipso ea, qua par est, humanitate petuisse liceat.

S. D. G.

WON A mi

Qu. 521, 16.


ERU

IN

Inclytæ

M. CHR

Mauritius



M

æ

IO,

lus

